

D I M E T Æ.

West-Wales.




Eliquam hujus regionis partem qua longius in Occasum projecta, Anglis West-Wales dicitur, agrumque Maridunensem, sive Caermarden-shire, Penbrochiesem, & Cereticam, sive Cardigan-shire, complectitur, Plinius Siluras etiam tenuisse existimavit: sed Ptolemaeus, qui exploratius Britanniam novit, alium hic populum constituit, quos DEMITAS & DEMETAS dixit, DEMETIÆQUE nomine pro hoc tractu usi sunt cum Gildas, tum Ninnius, unde Difed Britanni incolæ mutata pro lingua Idiotesimo M. in F. hodie vocitant.

Si non sinistra curiositatis videretur, hanc Demetarum appellationem à Deheu Meath deducere, id est, planities ad Austrum; uti omnem hanc Suthwalliam, sive Australem Valliam Deheubarth, id est, partem Australem; & sane qui aliam in Britannia campestris regionem coluerunt, Meatas Britanni ipsi nominarunt. Nec ab hac certe significatione aliena est hujus regionis positio, qua cum huc perveneris, molli devertitate considentibus jugis in planitiem paulatim expanditur.

CAERMARDEN-SHIRE.

Caermarden-shire.



Ger Maridunensis, qui Anglis Caermarden-shire, frugibus satis fertilis, gregibus abundans, fossiliumque carbonum alicubi ferax, continetur ab Ortu Glamorgania & Brechinia, ab Occasu Penbrochia, à Septentrione Ceretica, intercurrente Tivo flu. & à Meridie Oceano, qui sinu adeo magno hic terras excavat, ut hac regio interius quasi perterrita se subduxisse videatur.

Kidwelly.

Ad hunc sinum Kidwelly se primum offert, cujus territorium filii Keiani Scoti aliquandiu occuparunt, donec à Cuneda Britanno expellerentur. Nunc vero patrimonii Lancastrensis censetur per hæredes Mauritiæ Londinensis sive de Londres, qui è Glamorgania movens hoc difficili bello sui juris fecit, oppidumque Kidwelly vetus adjecto castro mœnibus obsepit, quod nunc vetustate quasi desertum fatiscit. Incolæ enim Vendraeth Veban fluviolum transgressi, novum Kidwelly substruxerunt, portus commoditate eo allecti, quæ jam tamen tenuis objectis fere nulla est. Dum Mauritiæ hæc loca invaderet, Guenliana Gruffini Principis uxor, ultimæ audaciæ mulier, ut rem mariti proclinatam adjuvaret, in Mauritium infestis signis acriter irruit, sed cum filio Morgano, & aliis nobilibus (ut author est Giraldus) in acie cecidit. Per Hawisiam vero filiam & hæredem Thomæ Londinensis devenit per amplum hoc patrimonium, cum titulo Domini de Ogmor & Kidwelly, ad Patricium de Cadurcis sive Chaworth, & per ejus è filio Patricio neptim ad Henricum Lancastriæ Comitem: hæredes autem Mauritiæ de London, ut vetusta docet Inquisitio,

Guenliana virago.

Domini de Ogmor & Kidwelly.

Tovy. Tobius fl.

Pro hac hereditate tenebantur, si Dominus Rex, vel Capitaneus ejus Iusticiarius venerit in partibus de Kidwelly cum exercitu, deberent conducere prædictum exercitum cum vexillis suis, & tota gente sua per mediam terram de Neth usque ad Loghor. Paucis infra Kidwelly miliaribus, Tovy fluvius, qui Ptolemæo TOBIVS, Oceano tandem excipitur, cum agrum hunc ab Aquilone in Austrum permenus fuerit, primum per Lanandiffry, à fluviis confluentibus ita, ut opi-

nantur, denominatum, quod Hoelus filius Rhesi jam olim in Anglorum invidiam prostravit. Inde per Dinevor principum Suthwalliæ, dum illi florent, castrum Regium in montis vertice sublime elatum, demum per Caer-Marden, quod ipsi Britanni Caer-Firdbin, Ptolemæus MARIDUNVM, Antoninus MVRIDUNVM dixit, qui non ulterius sua itinera persequitur, & libroriorum incuria hoc in loco male habitus. Duo enim itinera à Galena Iscam, & à Mariduno Viroconium temere confuderunt. Vrbs hæc est totius conventus primaria, pratis & sylvis amœna, antiquitate suspicienda, coctilibus muris, ut inquit Giraldus, partim adhuc extantibus egregie clausa supra nobilem Tovium fluviolum, qui navigioli subvehendis par est, licet arenarum pulvis jam ostio obtendatur. In hac natus est Britannorum Tages, Merlinus scilicet noster, ut enim ille Genii filius Aruspicinam suis Hetruscis, ita hic incubi filius, vaticinia, imo mera Orestis somnia nostris Britannis effinxit. Vnde in hac insula apud credulam & imperitam plebem vates celeberrimus audit. Statim à Normannorum in Walliam ingressu hæc urbs in eorum potestatem, auspiciis vero nescio cujus, concessit, multisque diu conflictata est difficultatibus, sæpius oppugnata, semel atque iterum succensa, primum à Gruffino filio Rhesi, inde à Rheso ejusdem Gruffini fratre: quo tempore Henricus Turbervill Anglus castro subvenit, & pontem intersecidit. Postea vero opera Gilberti de Clare, qui hujus mœnia & castra vicina firmavit, has miseras exuit, curisque laxata facilius bellorum tempestates deinceps pertulit. Walliæ Principes Regum Angliæ primo geniti hic suam pro Australi Wallia Cancellariam, & scaccarium constituerunt.

Dinevor.

Maredunum. Caermarden.

Merlinus.

Adjacet huic urbi ab Ortu Cantred-Bichan, id est, Centuria minor, (Cantredum enim vocant Britanni terræ portionem, quæ centum villas complectitur) in qua præter ruinas castri Careg, quod præcipiti undique, & abruptæ rupi infixum: & suffossa plura, sive specus spatiofissimas virenti cespite nunc obtectas, quibus furente Marte imbellem multitudinem habitasse creditur, etiam

Specus subterranei.